



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. In quem finem illis dedit legem, caeremonias, & hostias praecepit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

stamenti, quia vtriq; fide in Christum iustificamur, non lege operū. Ro 3 Arbitramur hominē &c. & Gal. 2. Si ex lege iustitia, Christus gratis venit in mundū.

Merebantur tamen hæc sacrificia & cultus Iudæorum ciuilitate, hoc est, coram illa Ecclesia remissionē à sordibus carnis, quòd mundificabantur & reputabantur mundi, & ostendebant se esse partem populi, ne à politia Moysis excluderentur, erant quoq; hæc sacrificia, signa confessionis & sacrificia laudis, quibus Deo gratias agebant pro acceptis beneficijs: & profitebantur se illum inuocare Deum, qui eis hoc verbum dederat, & de Aegypto liberauerat, eosq; custodiret & sanaret.

Cæterum pijs & credentibus omnes illi cultus in lege erant bona opera, quibus fidem suam exercebant, & quatenus crederent futurū Christum occidendum pro totius mundi salute, sicut etiā David alludit Psal. 50. Adsparges me Domine hysopo: etiam varijs præmijs Deus ornauit huiusmodi sacrificia & cultū, liberando illos ab inimicis, donando terram lacte & melle fluentem. Non tamen talibus obseruatiunculis legis iustificabantur coram Deo, sed fiducia misericordiæ eius promissæ per Christum venturum, ob id vbiq; Apostolus detrahit legi iustificationem, & transfert in Christum, Rom. 3. Gal. 3. & 4.

Sed plurimum offendit Iudæos ea doctrina iustificationis, qui æstimabant se consequi remissionē & salutem propter suos cultus & opera legis atque sacrificia, ideò persequebantur & occidebant Prophetas omnes Christo iustificationem tribuentes, sic gentes & Iudæi occiderunt sanctos homines, & Christum ipsum & Apostolos propter hanc fidem. Quare & hodie fit tumultus ab his qui ignorant rationem iustificationis, & hanc tribuunt suis cultibus, & cumulant in eum finem diuersos cultus, ordines & ceremonias: illi dum audiunt quòd propter hæc non iustificantur

stificantur coram Deo, sed propter Christum, fremunt dentibus: Igitur ex illo fonte ortæ sunt variæ persuasiones de Ecclesiasticis ritibus: oportet igitur esse edoctum & confirmatum exemplo Prophetarum: cæterum in alium finem sacri ritus ad ordinem, ad Dei laudem, ad exercitium corporis & fidei &c. nihil derogant, quando & sic Deo placent, & sua habent præmia.

Licet varij ritus atq; diuersi sint atq; fuerunt in vtroq; testamento, vna tamen semper est & fuit fides in Christum iustificatorem. Lex Mosaica habebat promissionem regni Israël, id est, terram sanctam & ciuilem iustitiam. Sed Euangelium & nouum testamentum habet promissionem vitæ æternæ, & veram adfert coram Deo iustitiam à peccatis. Habuit lex circumcisionem & varios ritus & sacrificia, habet Euangelium Baptismum, sacrificium corporis proprii, Rom. 12. & varia pietatis opera. Etsi ritus sunt diuersi & mutati, non tamen fides. Sic David, Abraham & similes, suis utebantur ritibus & legibus. Fide tamen placebant Deo. Ita quoq; & nos nostris utimur cæremonijs, ritibus sanctis, fide tamen in Christum placemus Deo & iustificamur: nostra enim conuersatio in cælo est, Philipp. tertio. Nihil enim periculi erit adempta opinione iustitiæ, quæ soli Christo reseruat.

CAPVT XIX.

ARGVMENTA.

1. *Undè sit causa electionis, vtrum ex lege, an nostra actione.*
2. *Qui sint certi, quòd sint de numero predestinatorum.*
3. *Quid faciat cõscientia, dùm anxietur de predestinatione.*

E 4

Præde.